



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 22. Joannes XXII Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)



Sæcul. XIV. A.C. 1316. dovicum fratrem suum decessisse die sabbati ante festum SS. Triadis quinto Junii, cum solummodo decem & octo mensibus regnasset. Fluctuabat animo Comes Philippus, nec Lugduni hærendum sibi diutius, nec infectum electionis negotium relinquendum ratus. Adhibiti consiliarii judicabant jusjurandum de Cardinalibus non concludendis fuisse illicitum, & ideo non esse observandum. Tum vero convocatis in cœnobium Dominicanum Cardinalibus exposuit ipsos haud inde dimissum iri, antequam elegissent Papam: positisque, qui eos egressu arcerent, custodibus, Parisios rediit. Quia Rex Ludovicus Clementiam conjugem suam prægnantem reliquerat, Comes Philippus nominatus est regni Gubernator interea, dum nasceretur soboles.

p. 115.

## §. XXII.

*Joannes XXII Papa.*

Cardinales pridie festum S. Petri vicesimo octavo Junii anno 1316 conclave ingressi quadragesimo post die, nempe septimo Augusti, sabbato ante festum S. Laurentii una omnes voce cooptarunt Jacobum Elusanum Cardinalem Episcopum Portuensem. Cadurci humili natus genere per bonum ingenium



nium ac laborem suum evasit doctissimus præsertim Juris. In corpore parvo magnum gerebat animum. Postquam Foro-Julienſis primum Episcopus per undecim annos fuerat, Clemens V eum anno 1310 ad sedem Avenionensem tranſtulit, ac biennio post mense Decembri sacra ornavit purpura. Papa novus vocari Joannes XXII voluit, ac solennem, qua coronaretur, ceremoniam aliquamdiu distulit rogante Philippo Franciæ Rectore, qui se huic actui adesse cupere significaverat. Sed hunc pæne mensis spatio cum expectasset, Lugduni cathedrali in templo coronam imponi sibi curavit quinta Septembris, quæ erat dominica. Mox ad Episcopos atque Reges pro more circummisit suæ dignitatis indicem epistolam, in qua dicit se cunctis a Cardinalibus concorditer electum fuisse Papam sine ullo suffragiorum discrimine, ac multum hæsitasse, an adeo terrificum munus acciperet? Ita discrepat cum quibusdam scriptoribus, a quibus dicitur se ipsum cooptasse in Papam. Sub finem Septembris Lugduno profectus, die sabbati secunda Octobris Avenionem attigit, ubi sedem se suam fixurum antea pervulgari jusserat.

Quarta decima Novembris Regina Clementia peperit filium; qui dictus Joannes quinta post die nimirum decima

*Histor. Eccles. Tom. XXIII.* G nona

Sæcul. XIV.

A. C. 1316.

J. Villani

l. 9. c. 79.

Baluz. to. I.

p. 151 687.

Sup. 9. 4.

Rayn. 1316.

n. 4.

n. 6.

Baluz. 152.

718.



Sæcul. XIV. nona ejusdem mensis efflavit animam.  
A. C. 1316. Tum Philippus ejus patruus est agnitus  
 Rex hoc nomine Quintus, cognomento  
 Longus ob proceritatem corporis.

## §. XXIII.

*Creatio Cardinalium.*

Papa delatus Avenionem octo Cardinales decrevit die Veneris decima septima Decembris, qua trimestris ecclesiastici jejunium servabatur. Primus erat Bernardus Castanetus patria Cesse-ronensis; quem ex Auditore palatii Innocentius V anno 1276 Episcopum Albigensem fecit. Anno 1308 ille transit ad sedem Aniciensem, cujus beneficii administrationem ei permisit Papa Joannes, cum eum diceret Cardinalem Episcopum Portuensem. Bernardus tunc numerabat annos episcopalis muneris quadraginta & unum, obiitque anno proximo 1317 die 14 Augusti octo duntaxat mensium Cardinalis.

Secundus fuit Jacobus de Vita Cadurci natus e sorore Papæ, tunc temporis electus Episcopus Avenionensis; qui manere jure fiduciario a Papa suo avunculo jussus est, cum fieret Cardinalis Presbyter de SS. Joanne ac Paulo. Tertius Gaucelinus sive Jossalmus Jannius pariter Cadurci e nobili ortus familia, Eccle-